



Panis Evangelici Fragmenta Quadragesimalia Tripartita

Ex sanctissimo Dei Verbo copiosè & sedulo collecta, Sanctorum Patrum, variorumque Auctorum sententiis & conceptibus mirificè aucta; Et Omnibus Quidem Anni Dominicis; præcipuè tamen singulis Quadragesimæ Dominicis & Feriis per binas ad minus, sæpius denas aut septenas Conciones fideli Populo ...

Lingendes, Claude de
Coloniae Agrippinae, 1689

In Feriam Quartam Post Dominicam secundam Quadragesimæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56356](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56356)



FERIA QVART A

DOMINICÆ SECUNDÆ
IN QUADRAGESIMA.

CONCIO SECUNDA

DE HUMILITATE.

Rationem reddit cur adeò pauci sint humiles.

Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister.

Matth. 20.

NCESSARIA res est humilitatis virtus, quâ nec etiam Apostoli carere debuerint, quos Christus generali illâ regula inclusit, *Qui se humiliaverit exaltabitur, & qui se exaltaverit humiliabitur*, quâ ratione, & ipsam superbiam superbiâ domat, & humilitati per humilitatem succurrit. Quia enim videbat immoderatum appetitum magnitudinis, illum per ipsummet aggreditur atque excindit. Et nos quidem ex ipso vitio superbiâ humilitatem deduximus, sed Christus sapientissimè & divinissimè rem stirpitus atque radicibus conficit, dum unam gloriæ viam, ipsius contemptum ostendit, non ita tamen ut gloriam humilitate quæramus, cum virtus humilitatis melior sit ipsâ gloriâ sed ut eam tantum speremus quasi fructum humilitatis. Quia enim primâ facie humilitatem

amare non poteramus, hinc vel saltem amabilem reddidit, quod gloriam pariat: ut cum ipsam experti fuerimus, ipsam propter ipsammet diligamus, licet gloria eam nunquam sit defertura, Et quoniam ea est vis & tyrannis ambitionis, ut qui propter ætatem, aut aliud simile inidonei sunt ad honores, illos saltem filiis suis concupiscant, idque sæpe vehementius quàm sibi; hinc est quòd in exemplo Matris filiorum Zebedæi, hoc etiam Christus damnet, ut omnes intelligant, tam ij qui sibi, quàm qui aliis honores ambiunt, unam ad illos viam solam esse humilitatem: Ad hujus virtutis Magistrum, Matrem, & Reginam accutramus. AVE MARIA.

MIRATI sumus in priori Concione cur tam pauci sint humiles, cum omnia ad humilitatem nos pertrahant: hoc est Dei maje-

majestas & iustitia: nihilum nostrum multiplex: immò & bona quæ in nobis sunt, & quæ vel aliena sunt, vel vana, vel incerta, item mala certa, scilicet peccata: in super creaturæ omnes variis planè modis, Huius itaq; reicausam hodiernâ die investigamus, ac quærimus cur in tam paucis hominibus humilitas reperiarur.

Prima ratio peti mihi videtur ab humilitatis naturâ, quæ amor proprio opponitur, quem Plato appellat τελευταίον χρίων postremum animæ amiculum, quod appetitus gloriæ ultimò deponatur: Ita Tacitus lib. 4. loquens de Helvidio Prisco homine laudatissimo, appetentior famæ videbatur, quando etiam sapientibus cupido gloriæ novissima exiit. Amor autem sui, est propriæ excellentiæ amor; sicut enim amor nostri, vitia nostra nobis elevat & diminuit, ac perfectiones nostras nobis exaggerat, sicut curam famæ nostræ habet, efficitque ut ab aliis amari cupiamus, quia amor quo afficiuntur cæteri erga nos, magnum est testimonium existimationis quæ de nobis habetur: ita humilitas, nobis culpas nostras exaggerat, oculosque nostros à bonis quæ possidemus avertit, & à virtutibus nostris, facit ut contempionem optemus & ultimum locum consecemur; neque desideremus amari, ne magnificemur. Atque ut admodum difficile est homini, amorem sui ipsius relinquere; inde fit ut parum humilitatis inter homines existat. Hujus rei exemplum & probationem afferunt nobis Apostoli, de quibus sermo est in hodierno Evangelio, qui cum Piscatores fuissent, & vitam labore sustentarent, nunc principatus & primas sedes in regno temporali ambiunt; Et quidem in scholâ Christi eruditi, post tam multæ exempla & documenta humilitatis. Nec verò duos tantum hæc cupiditas occupavit, sed cæteros etiam qui indignati sunt de duobus fratribus. Quæ quidem labes eorum animos aliàs infecerat, dum quærent, quis major

Tom. II.

esset in regno cælorum, quibus advocato puero in medium Christus & factò, & verbo respondit. Sed planè intolerabile est quod ipsâ nocte passionis, cum dolor & tristitia de Magistri obitu eorum impleisset animos, nullique alteri affectui locum relinquere debuissent, ea tamen cogitatio sic eos occupavit, ut Lucas dicat cap. 22. *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* Quis hanc inter piscatores contentionem non miretur, præsertim tam alieno tempore? Hic sine sunt lachrymæ, hi gemitus, quibus abeuntem prosequimini? Itane verò cum de suâ morte, & crucis supplicio agit, vos de primatu contenditis? Quid hæc intempestivâ contentione indignius? Sed nimirum hic affectus insanus est, vixque, ac saltem ultimus exiit.

Filiæ humilitatis tres sunt, ait S. Dorotheus doctr. 1. sui ipsius perpetua accusatio, propriæ voluntatis odium: Consilij sui ac sensus abominatio. Quæ res directè impugnant amorè propriû, qui arma nobis suppeditat ad propugnandum tuendûq; id quod à nobis promanat, uti propria volûtas sensusq; proprius. Inde fit, ut Patres sanè explicent per renuntiationem sui ipsius & perfectam abnegationem: Sanctique Augustinus & Chrysostomus, exponentes primam beatitudinem, *Beati pauperis spiritus*, de humilitate intelligant, quæ est perfecta paupertas, hoc est, integra renuntiatio bonorum, quæ nobis singulariter propria sunt, quæ longè difficilius dimittimus quàm bona exteriora, communiter dicta fortuna bona, quæ minùs nostra sunt.

2. Rationem peto ex diversis speciebus humilitatis, quæ omnes peculiarem aliquam difficultatem habent. S. Dorotheus Doctr. 2. sicut duo superbix ita quoque duo distinguit humilitatis genera: primum superbix genus est, cum quis fratrem suum contemnit, eumque quasi nihili æstimat; seipsum verò cunctis excellentiorem putat: 2. est cum adversus

R

Deum

Deum ipsum insolescit, sibi que opera bona, vel hominū turpissimo, vel iniquissimo quis non Deo tribuit. Ita primum humilitatis genus est, si fratrem tibi præponas in omnibus, te que habeas abjectissimum: alterum si quævis opera bona Deo attribuas; & hæc, inquit, est perfecta Sanctorum humilitas. In primâ hoc est difficillimum, ut quis sibi omnes præponat, ac recumbat in novissimo loco: In secundâ, ut id quod maxime est gloriosum, id à se abjiciat, atque alteri tribuat, nam virtute homines boni esse dicuntur: præsertim cum quisque libertate & voluntate bonus sit, nemini autem veniat in mentem se non posse id quod voluntate est, unde passim Philosophi Morales, uti Seneca sibi virtutem tribuere.

2. Divisionem subjicit idem Sanctus: ut enim alia est Superbia Sæcularis, cum quis nimirum insolescit in fratrem suum, ut pote quia vel ditior est, vel pulchrior, vel ornatior, vel nobilior: alia Monastica quæ non est minor, cum quis gloriatur ut juniorum, & vigiliarum observantissimus: Ita quoque duplex est humilitas, Sæcularis ac Monastica; Prima contemnit bona sæcularia, nec pro illis se alteri anteponeat, ea enim bona sunt ex quibus turpe est laudem querere, cum tamen in his plerique ridiculi sint, qui de veste, de crista & similibus gloriantur. Procerus est: numquid altior quam pinus? Pulcher est: an Pavone formosior? Sed hæc mulier formosa est: at pauca sunt eximiâ formâ quæ casta fuerint: at morbus, vel ætas, vel ipsa duratio formam expellit. Scienter equitat: itidem facit equarius mango. Ad choreas venustè saltat: sed minus quam fidicem. Pilâ bellè admodum ludit: at melius metæ signator. Arma naviter tractat: id rudiarius minister sæpenumero præstabilius agit. Suavi & canorâ est voce: Comædi laus ista est.

Altera Monastica dum bona opera prementur, ac nulli alteri seipsum quis præfert,

enim *te discernit?* 1. humilitas difficultatem habet ex consuetudine, quia videlicet hæc vulgo homines magni æstimant. Non sunt res magnæ, sed passim magnæ æstimantur, & ab incunabulis semper laudari audivim? ab omni hominum genere: modis omnibus queruntur: lætus magnus si amittantur: omnibus votis appetuntur, & *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Quis omnibus hominibus contradicere velit? Altera verò ex quâdam specie meriti: Cum enim hæc bona vera esse videantur, vix quisquam improbet, ut gloria quam offerunt respuatur, cum eam justam esse existiment. Ad hæc quæ ipse Deus aliquando laudaturus est, immò & seipso compensaturus, quis æstimare, quis laudare detrectet.

Sanctus Bonaventura tres ait esse humilitatis gradus.

1. est, cum quis se vilem reputat: ac licet dixerit magnus ille & verè pius Antistes Franciscus Salæus, quod se se agnoscere miserum, est quidem minimè brutum animal esse, sed sed non propterea esse humilem: omnes tamen qui miseriam suam norunt, non ideò se se despiciunt. Quamobrem dico esse humilitatem, semetipsum contemnere. Aliunde verò sicut superbia est, bene de seipso existimate, ac placere sibi: ita humilitas est, se parvi pendere, ac postponere omnibus: quod quidem patet ex contrario ad superbiam pertinente.

2. Gradus est velle ab omnibus vilem reputari: & propterea procurare, & cum evenit gaudere & exultare: secundum illud Apostoli: *Non solum autem sed & gloriamur in tribulationibus nostris,* quod valde est arduum.

3. Gradus est nō extolli de Dei donis quantumvis magnis: qui gradus perfectissimorum proprius est. Sic Bernardus rara virtus, inquit,

inquit, humilitas honorata, præsertim à Deo, maximis donis collatis: nam quem Deus extulit quomodo is potest non se efferre. In his singulis gradibus peculiaris est difficultas: In primo quidem, quia quis in suâ causâ potest esse justus Iudex: præsertim cum naturâ comparatum sit, ut oculos avertamus ab iis quæ displicent, & convertamus ad ea quæ placent: Vir unus Ieremias ita de se loquitur, cap. 3. *Ego vir videns paupertatem meam in virgâ indignationis ejus.* 2. gradus ferè naturam superat: 3. autem ad eò altus est, ut ex omnium confessione ad perfectissimos tantùm attineat. Quæ cum ita sint, & cum perfectio sit paucissimorum, non mirum si in tantâ humilitatis difficultate tam sint pauci humiles; nullaque sit virtus humilitate rarior.

Sed quoniam, ut ait Cassiodorus lib. 4. epist. 4. Humilitatis virtus tam est pretiosa quam rara, si pauci sunt humiles, eò magis contendere debemus, ut simus ex paucorum numero: quia ut ille agebat, magnum argumentum raritas: quâ de re cum vos persuasos intelligam, hoc mihi reliquum est ut humilitatis doctrinam & praxim subjiciam.

Sed ante omnia admoneo nemini nõ convenire humilitatem: idque omni tempore, etiam in ægritudine: cum multæ virtutes, uti oratio, charitatis officia, & labores ob imbecillitatem, atque attentionis defectum eò tempore in usum venire non possint: Nam ut ait Dorothe. doct. 21. Contemptus laboris vicem tenet: quare doct. 2. ita suos exhortatur: Et si ob infirmitatem laborare non possumus, humiliari saltem studeamus: fateor debilitate corporis non posse nos laborare; sed quid, non possumus humiliari? Hoc posito:

Adverte mihi duplicem videri humilitatis virtutem, unam quam appello mortalem, alteram Christianam: Licet omnem humilitatem, virtutem Christianorum appel-

lent Sancti Patres, quoniam ut ait B. Augustinus in illud Psalm. 37. *Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum approximabunt;* fuit hæreticis incognita. Sic enim ait: Hæc aqua humiliationis cordis, hæc aqua vitæ salutaris abjicientis se, nihil de se præsumentis, nihil suæ potentia superbè tribuentis; hæc aqua in nullis alienigenarum libris est: non in Epicureis, non in Stoicis, non in Manichæis, non in Platoniceis: ubicunque etiam inveniuntur optima præcepta morum & disciplina: humilitas tamen illa non invenitur: à Christo venit, &c. In diluvio autem aquarum multarum extollentium se adversus Deum, & docentium superbas iniquitates, ad Deum non approximabunt.

Moralis initium habet in intellectu, sed residet in voluntate. Etenim nascitur ex consideratione vilitatis nostræ, & sui ipsius cognitione; adhuc beneficiorum Dei. Itaque praxis optima est sui frequens disquisitio, & cognitio, ac præsertim consideratio peccatorum suorum, & impotentia suæ ad bona opera, & eorum omnium quæ supra retulimus: præsertim si hæc consideratio fiat coram Deo, quia ut ait Bernardus serm. 42. in Gantic. ad illud lumen veritatis constitutus homo, se ipsum sine dissimulatione inspicit, & sine palpatione dijudicat. Actus voluntatis est in affectu circa vilitatem nostram, ita ut ea omnia diligamus, quæ faciunt ad nostri contemptum: quia verè nos existimamus dignos contemptu.

1. Itaque oportet se ipsum vili pendere, nihil se ipsum existimando quoad ea quæ habet homo ex se se: atque ea est humilitas iudicij, ut ait Bernardus, quam adhuc imperfectam vocat, cum quis se ipsum ad veritatis lumen intuens agnoscit suam vilitatem, & se coram Deo dimittit: sed requiritur.

2. Ut verè humilis, veritatis amore impulsus, talè se ab aliis haberi cupiat qualè se corà Deo agnoscit. Est enim humilitas, ait Bernard. loco citato, quā nobis veritas parit, & non habet calorem: & est humilitas quam charitas format, & inflammat. Atque hæc quidem in affectu, illa in cogitatione consistit: Vnde fit 1. ut nihil agat ob vanam gloriam; nam ut ait Climacus, ubi desinit vana gloria, hinc incipit superbia; non tantum quod vanam gloriam nihil faciat ut inanem; neque tantum quia ut ait Basil. Homil. 22. θεός μέγας θεαλής, Deus magnus est spectator: φιλοδοξίαν ἔπι θείῳ, & Deo placere gestias: λαμπρόν γόστον δίδασκε τὸν μισθόν; qui splendide mercedem retribuatur: sed quia se omni gloria putat indignum: 2. Ut nullā in re humilitatem lædat, abstinendo se ab iis omnibus quæ alienum honorem minuire possunt, & augere proprium, si nulla fuerit necessitas.

3. Ut cum se videt ab aliis honorari, & magni fieri, doleat; nec illū honorem admittat, nisi ratione officij, aut boni quod habet, & ita in Deum implicitè illum referat.

4. Ut se cum aliis conferendo, deteriorem putet: considerat enim alios secundum ea quæ ipsi habent à Deo, & se secundum ea quæ habet ex se, unde se postponit: hoc enim est ingenium humilitatis in se intueri sua mala: in aliis eorum bona, contra quàm faciunt superbi qui in sua bona intendunt, & in aliorum mala: quisque autem secundum sua est deterior, quam sint alij secundum ea quæ sunt Dei.

5. Ut se homo Deo subjiciat velut vile mancipium, ut ipse de illo disponat ad libitum suum in omnibus: secundum illud 1. Petr. 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet*: Et ad hoc pertinet ut quidquid evenerit non modò constanter, sed etiam libenter feramus, quod magnam habet latitudinem.

6. Ut subjiciat se hominibus propter Deum sinens se regi ab illis tanquam instrumentis Dei: unde 1. Petr. 2. *Subjelli estote omni humana creature propter Deum*, &c. in omnibus amputando suam voluntatem, omnibus omnino se subjiciendo, etiam in exercitiis humilitatis: Etenim, ut ait Doroth. doct. 21. currere suā sponte ad vilia exercitia nullius profectus est, quin potius inanis gloria: sed cum vile tibi aliquid præcipitur, neque tu contradicis, sed jussa facis cum omni mansuetudine, & obedientiā.

7. Ut in externis rebus, & functionibus quantum in se est amplectatur semper id quod abjectius est, & minus honorificum, ut locum inferiorem, officia vulgo minus honorata, vestem, supellectilem, &c. quantum patitur personæ qualitas & decorum.

8. Ut iis etiam virtutibus se addicat quæ minus habent splendoris, & eas humiliações diligat quæ necessariae esse videntur, & nos magis abijciunt: unde S. Bernard. serm. 16. in Cantica. Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari; gaudet contemptu sui, hoc solo sanè superbus quod laudes contemnat: itaq; melius est pati ea quæ ab aliis inferuntur, quàm quæ ab aliis exposcimus: itè ea quæ nos viles, non humiles ostendunt; & ideo rarè nec non si prudenter de humilitate loquendum: nam ut ait Doroth. doct. 21. humiliter loqui arrogantiam præ se fert, & magis nocet, quàm prodest.

Denique, nullis donis Dei extolli, sed potius se illis omnibus indignum credere, & ad omnia se ineptum putare, immò ea spectare ut onera sibi imposita, atque hanc sumam appellant humilitatem, & supra moralem Philosophiam.

Ex dictis colligi potest 1. *Moralis humilita-*

tatis fundamentum esse notitiam sui, quæ ut sit perfectissima postulat etiam cognitionem Dei; unde cognatæ sunt hæ duæ virtutes, humilitas & charitas: secundum illud Augustini: Noverim te, noverim me, ut amete, & contemnâ me: Hūilitas enim sequitur cognitionē sui, charitas autem cognitionē Dei. 2. hanc virtutem non esse in intellectu, sed in voluntate: Inclinat enim voluntatem ut se intra fines suos contineat, nec eos excedat vel spe, vel desiderio:

Objectum hujus virtutis esse id quod congruit nostræ vilitati: hoc enim est quod per humilitatē & interius appetitur, & agitur exterius: nam licet humilitas nos rectē ordinet circa appetitum honoris, non illum 1. quærit solitarium, cum soli virtuti debeatur & sit reus appendix: non 2. quærit ex rebus vanis, cum soli virtuti debeatur: non 3. supra suum meritum, quod si ex se metiatur nullum est; Sed sui contemptum quærit, quatenus est testificatio nostri nihili, quā profitemur non ex nobis nihil posse, nihil esse; & consequenter omne bonum nostrum esse ex Deo, & ad ipsum ut ad authorem bonorum omnia esse referenda: hoc enim ipso quod nostram vilitatem profitemur, tacitè significamus omne bonum nostrum in Deum esse refundendum.

Christiana ea est non quæ in nostrâ abjectique fundatur, sed in perfectâ Christi imitatione: cum enim anima intelligat sui causâ Deum Majestatis humiliatum esse, usque eò ut non homo esset sed vermis, *opprobrium hominum, & abjectio plebis*; ut Dominum suum imitetur, omnes honores abominatur, & supplicia reputat, desiderat omnem contemptum, atque ignominiam modis omnibus ambit, & si repererit, amplectitur, lætatur, gloriatur, atque cum Apostolo dicit, *Glori-*

abor in infirmitatibus meis, ne inhabitet in me virtus Christi. Itaque se contemnentibus non irascitur, immò eos diligit, & si culpa abesset; eos ad hoc provocaret, dolet tamen ob eorum peccatum, sed lætatur propter occasionem contemptus sibi oblatam: ac sicut homines honoris cupidi mille artibus honorem aucupantur, ita qui verâ humilitate, sed ultimâ præsertim præditi sunt, mille modis, & rationibus humiliandi se occasionem investigant. Propterea Basilius homil. 22. docet omnia quæ ad Christum pertinent nos humilitatem docere: Cùm infans esset in speluncâ hospitatur, nec læcto, sed præsepi imponitur: deinde in domicilio fabri, & Marris pauperculæ enutritur: subditus Matri, & illius Sponso: docetur ea audiens, quorum non egebat: subditur Joanni, & baptismum suscipit à servo Dominus: nemini adversariorum resistit, neque inenarrabilem suam potentiam in quemquam vibrat, sed quasi potentioribus cedit: si Pontificibus Sacerdotum in formâ rei sistitur, ad Præsidentem ducitur, & judicium illius sustinet: & cum posset calumniatores suos arguere, silētio tolerat illorū calūnias; conspuitur à servis ac vilissimis pueris: morti traditur; eique, hominum judicio, turpissime: ita hominem omnia ab ipsâ nativitate ad mortem usque exercuerunt. Ut tamen illi virtuti nihil desit, tres illi conditiones necessariae sunt.

1. Ut sit humilis, nec se se prodat, quantum fieri potest, & ita non inepta sit in verbis, in habitu, in modo loquendi, non sit contentiosa in officiis vilibus ad se pertrahendis.

2. Ut sit prudens, ut cohibeat zelum immoderatum; item cum opus est, suam famam tueatur, quando cum proximorum bono conjuncta est.

Denique sit magnanima, ut ea faciat non propter pusillanimitatem, sed propter humilitatem; ad hæc sicut nihil pro vanâ gloriâ vult aggredi, ita nihil boni ob ejus metum deponat: & sic ab oratione non abstineat humilitatis prætextu, nec ab aliis operibus: si aliquid dicendum sit quod sciat, non fingat se ignorare, sed prosit proximo, & ita in cæteris: Hæc est praxis potissima humilitatis.

Quod si quis viam ad ipsam postulet, docent omnes Patres cum D. Bernardo esse humiliationem, scilicet in vestibus, in officiis, in afflictionibus: nam uti docet Greg. Nazianz. ubi anima se se corpori addixit, passiones corporis in animam transferunt, itaque aliter afficitur animus, cum corpus ornate vestitum est, aliter cum inornate, aliter cum corpus sedet in throno, aliter cum jacet in sterquilino: unde apud Doroth. doct. 2. quidam senior à fratre interrogatus, quid esset humilitas? respondit magnum opus esse humilitatem, ac divinum nescio quid, vias verò humilitatis labores corporeos esse: & ideo rectè idem admonet doct. 10. ut quicumque à Domino poscit humilitatem sciat se poscere aliquem ad se destinari, à quo contumeliis & in juriis afficiatur, cumque eas patitur ferat æquo animo, contemnatque in corde se ipsum, ut & foris, & intus pariter humilietur: & quan-

quam hæc initio molesta esse videantur, progressu tamen temporis facilia efficiantur: immò sola humilitas animi quietem dabit, juxta promissum Salvatoris, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*: Sicut enim est sententia ejusdem Patris doct. 1. Turbatio à superbiâ proficiscitur: & sicut Deus ubi animam rebellem videt, ut hæc ei pœna statuat ejus miserabilem ostendat, conjicit eam in turbationem, ita humilitas quietem reddit: unde cum coràm B. Barlanuphii discipulis quidam, senem interrogaret quid acturus esset ipse qui se nullâ curâ morderi sentiret, ideoque dubitaret de salute, sciens ex scripturâ multis afflictionibus ad eam opus esse, ei senex respondit, vanum timorem adimens, ita necessariò evenire, ut scilicet paratissimi, jucundissimi, & quietissimi sint, quicumque se se in Patrum obedientiam dediderit, quod per obedientiam humilitati conjunctam præstatur.

Cum itaque nihil melius optare aut sperare possimus præter pacem, & animi tranquillitatem, humilitatem amplectamur, quæ illius parens est, quâ fit ut ex hujus vitæ tranquillitate in omnis perturbationis expertem vitam beatam transferamur: quod nobis concedat JESVS CHRISTVS. Amen.



FERIA QVARTA
DOMINICÆ SECUNDÆ
IN QVADRAGESIMA
CONCIO ALTERA,

Quicquid in sorte Filiorum Zebedæi fuerit singulare, id totum
uni patientiæ tribuendum esse.

*Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei, Possumus. ait
illis, Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dextram
meam, aut sinistram non est meum dare vobis, sed quibus
paratum est à Patre meo. Matth. 20.*

NEMINI in Scripturâ versato
ignotum est nomine calicis
tribulationem intelligi: sed
hujus appellationis ratio non
tam facile reddi potest.

Nam 1. quod aliqui dicunt ideò Chris-
tum suam Passionem appellasse calicem,
quòd eam acceperit cum tanto gaudio,
ut vinum deliciarum in magnâ siti bibere
videretur: non satisfacit, 1. Quia licet
CHRISTVS calicem Passionis sæpe desi-
derarit, & licet non invitus biberit, ta-

men ut scias calicem amarum fuisse, ipse
orabat Patrem ut transfret calix & ipsum
bibit cum maximo dolore & tristitiâ, at-
que acerbitatem passionis sensit: 2. Quia
hæc vox calicis passim usurpatur in Scrip-
turâ ut significetur quodcunque suppli-
cium sive malorum, sive bonorum Psalm.
74. *Calix in manu Domini vini meri ple-
nus mixto: Et inclinavit ex hoc in hoc: ve-
runtamen fex ejus non est exinanita: bibent
peccatores terra.* Isidor. Pelus. libr. 1. E-
pistol. 6. Justa remuneratio designatur
quæ misericordiâ temperatur, ut provocet ad
pœni-

pœnitentiã : Inclinat autem ex hoc in hoc, id est ex benignitate in supplicium : atque ut nemo confidat lassandum Deum ultione, & obliturum peccata, addit fecem non esse exinanitam, bibent enim omnes peccatores τὸ τῆς χεῖρας πῶλον, Judicii poculum; vel ut loquitur Epist. 249. πῶλον πῶλον poculum prolapsionis ac ruinæ: Idem docet li. 2. Epist. 172. Vbi poculi temperationem intelligit per mixtionem; Nam (inquit) purum est Dei iudicium, temperatur autem juxta scelorum qualitatem, & quantitatem. Verior tamen sensus est; si dicas: *Calix in manu Domini*, hoc est jam jam parat morti tradere impios; sed non universos simul, ne mundus pereat, sed sigillatim nunc uni, nunc alteri, calicem propinat; & inclinavit ex hoc, in hoc, id est ab ore alterius detractum calicem alteri porrigit, ita ut omnes impii illo se potandos esse sciant. Et Pl. 59. *Potasti nos vino compunctionis*, seu tremoris; seu ut vertit Hieronymus soporis. Isaia 51. *Bibisti de manu Domini calicem iræ ejus, usque ad fundum calicis soporis bibisti, & potasti usque ad feces*: Et Ezech. 23. *In viâ sororis tuæ ambulasti, & dabo calicem ejus in manu tua: calicem sororis tuæ bibes profundum & latum*: Et Zachar. 12. *Ponam Hierusalem superliminare crapula omnibus gentibus in circuitu*: Et alia multa loca passim id probant, scilicet nomine calicis tribulationem & pœnam significari:

2. Itaque S. Hieronymus appellationem sumit à Pharmaco venenato, quod visum horrorem ingenerat, haustum vero amaritudinem, deinde nauseam, tremorem, vomitum, turbationem: coctum autem gravedinem, ebrietatem, vertiginem & soporem. Sunt portiones affectæ præstigiis, & incantationibus: aspersi veneficio liquores: succi herbis magicis expressi. Verùm Pharmacis non adhibetur vinum, sed toxicum; atque ejusmodi portiones non fiebant à vino sed succo cerrarum quarundam herbarum veneniferarum maligna-

rumque, sexcentis execrationibus, præstigiis & incantamentis collectarum.

3. Itaque ex nonnullorum sententiã alluditur ad consuetudinem quâ damnati jubebantur cicutam ebibere, uti Athenis jussum Socrati: unde factum, ut mors ipsa calix appelletur. Sic Pl. 115. *Calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo*; id est, Mortem libens, & Dominum invocans, subibo; ex quo sequitur. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*: Et eo quoque sensu Christus vocat mortem suam, calicem & baptismum: Nam uti quondam rei, vel occisi sunt epoto veneno, vel in undas demersi: ita in Christo duplex fuit quasi mortis causa, dolores interni, significati nomine calicis, & tormenta externa significata per baptismum. Verùm cum hic mos interimendi non fuerit in usu apud Iudæos, neque ad mortem vinum porrigeretur, non facile consentio hinc sumptam esse talem denominationem.

4. Visum est erudito Ezechielis interpreti Prado in c. 23, hunc loquendi modum petitura à bibendi certaminibus, ubi convivæ coguntur ebibere certas mensuras usque ad fundum calicis non sine fastidio & agone, & læsione viri animi, & corporis: nam ejusmodi potus initio suaves, in fine sunt acerbis, & quod appetit sitis, respuit satietas; sed exhauriendus omnino calix offertur ipsius compotatoris manu, & ebibendus usque ad feces. Talis est potus & concertatio peccatorum cum divinâ Providentiã, nam dulce vinum voluptatum bibere volunt: fundum calicis, hoc est pœnarum acerbiter exaurire recusant, sed ebibant necesse est, quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto, id est turbidâ fece, qualis est sanguis recens ab uvis rubris extractus, unde & fervens dicitur, & ebulliens: Et hoc sensu agebat Christus, *transseat à me calix iste*, nam Christo fidejussori nostro propinata est fex calicis voluptatum, quas nos bibimus in poculo Babylonis. Sed

Sed 1. non quadrat similitudo, quia duo sunt pocula, unum voluptatis, alterum furoris, & hoc quod propinat totum est amarum, 2. Non potest ostendi ista concertatio in omnibus, ut quando Apocal. 17. dicitur *Babylon habens poculum aureum in manu sua plenum abominacione, & immunditiâ fornicacionis ejus*, quod propinavit omnibus Sanctis, eos affligendo, & occidendo; unde subditur. *Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu*; Mitto alia exempla quæ non quadrant.

5. Plurimis placuit alludi ad morem Iudæorum quo damnatis ad mortem offerebatur vinum aliquod excellens & temperatum, ut miserillo recrearentur, vel si prolixius biberent, ita sopirentur, ut dolorem non sentirent. Sic Christo Domino obtulerunt vinum myrratum, sed ipse eo gustato ne beneficium dedignatus videretur, noluit bibere; hæc etiam consolationem abjiciens nostrâ causâ. Ita ait Sapiens Proverb. 31. *Date ciceram merentibus, & ijs qui amaro sunt corde: bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius*. Ponitur itaque signum pro re significatâ, & calix pro morte. Verum cum illud poculum dari soleret ad consolationem, difficile est ex eo appellationem sumere mortis & supplicij; cum enim Deus aut gestat poculum, aut dat illud propinandû gentibus, ut cum dicit Jerem. cap. 25. *Accepi calicem de manu Domini, & propinavi cunctis gentibus*; significat potius se quasi gladium accepisse, quam illud vinum quod datur in supplicij levamen, atque solatium.

6. Mihi itaque omnium probabilissimum est metaphoram sumptam à convivij, in quibus calix significabat certâ poculorum mensuram; pars autem & portio, mensuram esculentorum; quam scilicet Architriclinus ad mensuram dividebat unicuique in convivio: atque utroque nomine, quidquid apponi

solebat convivis edendum, aut bibendum: unde quidquid ad singulos homines quocunque jure pertineret, id appellatum est calix, & portio. Hinc David Psal. 17. *Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei*: id est ipse mihi pro cibo & potu: denique omnia ad victum necessaria in iplo habeo. Calix itaque seu pars, significat quod cuique est destinatum: quod si res destinata bona sit, dicitur calix jucundus & gratus. Ita David, *Et calix meus inebrians quam præclarus est*: & ut significetur illarum rerum abundantia, additur ebrietas, torcular, cella vinaria: ut autem significetur deputatum alicui supplicium, sive sit mors, seu aliud genus afflictionis, non dicitur calix simpliciter, sed calix furoris, vel dicitur vinum mixtum, fex vini, absynthium: uti Theren. 3. *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio*: & ut significetur copia seu magnitudo supplicij sit mentio ebrietatis, tremoris, stuporis, & similibus: uti intelligatur nihil, condonari, dicitur Isaïæ 51. *Vsque ad fundum calicis soporis bibisti, & potasti usque ad feces*: ut significetur æqualitas supplicij, ait Ezechiel cap. 23. *In via sororis tuæ ambulasti, & dabo calicem ejus in manu tua: calicem sororis tuæ bibes profundum, & latum*: profundum, ut intelligas magnitudinem supplicij; latum, ut diuturnitatem. Cum itaque Christus id sibi elegisset ut pateretur, ut torqueretur, ut moreretur, hinc factum est, ut nullâ re aliâ additâ suam mortem, & passionem vocaret calicem suum, ac de sua morte loqueretur, cum Iacobo, & Ioanni diceret, *calicem meum bibetis*. Cogita igitur Patrem æternum instar cujusdam Architriclini aut Patrisfamilias unicuique suam sortem destinasse, ac Filio suo pro sua parte dedisse dolores, labores, cruces, & mortem, quam suam sortem, & quasi partem Filius calicem appellavit: *Calicem quem dedi mihi Pater non vis ut bibam illum*: Hoc posito tanquam hujus discursus fundamento?

Dico 1. Unicuique suum esse à Patre divi-
no calicem præparatum, seu unicuique suam
sortem esse destinatum. probatur: Quia id
pertinet ad ordinem divinæ providentiæ, cu-
jus est omnia disponere. Nam ut ait Apосто-
lus Rom. 13. *Qua à Deo sunt, ordinata sunt*: Ita
dicitur moderari, *omnia in pondere numero,
& mensurâ*. Porro illud verum est tum in u-
niversum respectu Regnorum, Imperiorum,
Gentium, *quando dividebat gentes juxta nu-
merum filiorum Israël*: ipse enim regna & im-
peria destinavit, id est, & fines dominationis,
& mensuram opum, potentiæ, multitudinis,
durationis, uti dicitur Act. 17. *Definiens sta-
tuta tempora & terminos habitationis eorum*:
& ideò omnia regna repræsentabat in mem-
bris statuarum Nabuchodonosoris, quorum cer-
ta erat & magnitudo, & dignitas; & in me-
tallis certum pretium: uti Daniel exposuit.
Mensuram etiam pœnarum statuit, & rerum
quas illis permittere vult, ita ut nemo possit
fines illos præterire. Eodem modo singulis
hominibus suum calicem destinavit, tempus
nascendi, tempus vitæ, mensuram patientiæ,
mensuram donorum, & similia. Porro qui-
busdam præparavit sortem feliciorem, alijs
vero duriores: Quidam canere possunt cum
Prophetâ *funesciderunt mihi in præclaris*, alijs
verò dicere cum Jeremiâ. *Avis discolor hare-
ditas mea mihi*, quia bonis & malis successibus
distincta: alijs cum eodem Prophetâ cap. 12.
Facta est mihi hereditas mea quasi Leo in Sylvâ.

Dico 2. Ex præparato unicuique ac destina-
to calice æstimandam ejus magnitudinem aut
dejectionem, quia nullus est faber suæ fortu-
næ, sed talis solum esse potest, qualis à Deo
destinatur. Ita Christus ut ostenderet super-
fluam esse curam hominum ut supra Dei or-
dinationem eveherent, exemplum sumit au-
gmenti corporis: ut enim *nemo potest ady-
cere ad saturam suam cubitum unum*, ita ne-
mo suam sortem mutare potest. Hinc fit

ut qui Angelus metiebatur mensuram Jeru-
salem ferret in manu sua calicum aureum,
id est divinum adhiberet consilium, ut cujus-
que Sancti intelligeret sanctitatem, atque
magnitudinem; nam tantus est unusquisque,
quantus est à Deo destinatus. Non itaq; pete-
da est cujusque magnitudo vel ex ipsius am-
bitione, aut ex parentum voto, aut ex homi-
num conatu, & voluntate, sed ex Dei præde-
stinatione, secundum illud, *Non est volentis,
neque currentis sed miserationis Dei*. Isaac vole-
bat benedicere Esau: Jacob præripuit bene-
dictionem electione divinâ, nam ut ait Apo-
stolus *dictum est ei*, scilicet Matri, *quia major
serviet minori*: Ita Joseph Manasse posue-
rat ad dexteram Jacob, & Ephraim ad sinistra,
sed Jacob suas manus decussavit & minorem
majori prætulit divino consilio.

Dico 3. Et quoniam in particulari horum
duorum discipulorum de quibus est sermo
calix idem fuit quæ & Christi Domini, secun-
dum illud, *Potestis bibere calicem meum, & ite-
rum calicem meum bibetis*, hinc sequitur ve-
ram magnitudinis ipsorum mensuram peten-
dam non fuisse, vel ex Matris voto, vel ex ip-
sorum ambitione *nescitis quid petatis*, nec ex
voluntate humana Christi, & carnali bene-
volentia secundum illud: *Sedere autem ad
dexteram meam, vel sinistram, non est meum
dare vobis*, sed ex mensura calicis Domini:
*sed quibus paratum est à Patre meo: pote-
stis bibere calicem meum, &c. calicem meum
bibetis*.

Dico 4. Quoniam itaque eorum calix i-
dem fuit qui Christi Domini, & calix Christi
fuit calix afflictionis, sequitur eorum calicem
fuisse etiam similem; & quia ex calice sumen-
da est uniuscujusque mensura magnitudinis,
sequitur Apostolorum magnitudinem om-
nem ex unis afflictionibus esse sumen-
dam. Unica mihi probatio est præter Chri-
sti responsionem quæ id manifestè asserit,
quia

quia quidquid in duobus illis fratribus fuit exitium, illud omne ad tolerantiam pertinuit. Certè si omnia persequi vellem nimius essem, itaque tria tantum placet afferre in duobus illis Apostolis exitia.

I. Est insignis eorum vocatio & obedientia, atque rerum omnium contemptus, quæ singulariter commendantur ab Evangelistâ. Nota circumstantias: Vocati sunt presente Patre, eoque satis divite. Nam ut ait Marcus cap. I. *Et relicto Patre suo Zebedæo in navi cum mercenarijs, secuti sunt eum*: S. Hieronymus nobiles putavit & cæteris piscatoribus locupletiores ut qui servos haberent, & mercenarios: Ita verò nudi nudum secuti sunt, ut omnem rerum humanarum curam abjicerent. Quòd verò hæc omnium rerum derelictio maxima sit, ac convenientissima ad martyriū ac mortem ob Christum subeundam atque ad adeunda omnia pericula dispositio, discimus ex Luca Evangelio cap. 22. ac simul, loco omnium difficillimo lucē damus. Dominus itaque cū mors instaret, velletque discipulos exemplo suo ad martyrium præparare, admonuit eos de instituto Apostolico à principio suscepto, ac benè servato, nihil proprium habendi; quia nihil sit quod magis à sollicitudine hujus sæculi & vitæ humanæ liberet, & magis expeditos & paratos ad moriendum pro Christo & fide ejus reddat, quàm nihil proprium possidere. Ait ergò Dominus in extremis vitæ, tanquam de re gravissimâ & maximi momenti admonens discipulos: *quādo misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid defuit vobis aliquid? at illi dixerunt, nihil*: difficile est quod addit: *Et nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram*. Hic duo videntur difficilia, & quid velit, & quod sequentia prioribus non videantur cohærere, immò contrarium videtur instituto relinquendi omnia. hic enim non solum non jubet ire sine sacculo, ut Apostoli missi fuerant,

sed qui habet sacculum, permittit ei ut habeat etiam peram: sed quæ sequuntur verba obscuriora sunt: *Et qui non habet vendit tunicam suam, & emat gladium, &c. at illi dixerunt, Domine ecce duo gladij hic, at ille dixit eis satis est*: quò enim hæc omnia pertinent, quidve CHRISTVS intendebat? Mirum est quàm variæ à Patribus & ab Interpretibus afferantur explicationes: sed nulla nil magis explicat quam illud, summam esse hujus loci difficultatem. Omnium uti existimo acutissimè & eruditissimè Photius Patriarcha Constantinopolitanus hunc locum explicavit in responsis ad quæst. 300. Amphilochoii Metropolitæ Cyzici: postquam enim varias antiquorum attulit sententias, subdit gratias agendas esse S. Patribus à quibus, qui postea securi sunt, acceperunt semina, & primitias ἀνεβεβήτων σπιδύσεων id est limationum solutionum: approbans igitur (ait) constantiam discipulorum ad summam virtutem, Martyrii scilicet, eos revocat. Nunc, inquit, cū mea passio instat, & bellum contra vos paratur, qui sermonem meum de relinquendis scilicet omnibus, & me sequendo, non servaverunt, eos sequetur cum sacculo cura etiam de perâ acquirendâ: Et hoc significant: *Et nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram*: Qui verò laboraverunt, & studuerunt ut servarent, hi imponent finem & consummationem certamini prius suscepto: Eos contra qui ab hac perfectione nihil possidēdi lapsi sunt, sollicitudo & cura de multis rebus excipiet, quibus cum sacculo, pera, & quidquid vitæ commoditas imperat, non deficient: Idcirco, inquit, Pulchrum fundamentum futurorum certaminum jecistis in paupertate. Quare reliquum est, ut magis nunc quàm prius parati & prompti sitis ad mortem pro me subeundam: jam enim & ego mortem pro mundo subeo: Id enim ea verba significant: *Dico enim vobis,*

vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me; & cum iniquis deputatus est: etenim ea quae sunt de me, finem habent; ubi genus mortis & supplicium designat: Bene autem fecistis, qui omnia vitae hujus reliquistis, ita ut nihil possit vos retrahere. quo minus læti, ad id quod caput est omnium, id est ad mortem pro me appetendam veniatis: illud itaque sanè sequitur ut præsto, & prompti sitis ad dandum extremum amictum, & vitam pro me cum morte commutandam: hoc enim probabilissimè significat illud, *Vendere tunicam, & emere gladium*: quod perinde est quasi diceret: Nec ultimo amictui parceret, qui perfectionem nihil possidendi consummaverit, immò dabit locum promptè emendo gladio: Itaque prænuntiat futurum esse, ut custodia illius instituti de nihil habendo, hoc ultimum & ingens officium virtutis præclaræ vobis repræsentet. Suadebit enim mortem pro me libenter adire, ab omni præterea sollicitudine rerum humanarum liberos esse, ad nullamque curam rerum ad corpus pertinentium converti, omniaque ad cultum meum referre: Quod autem nihil aliud in anigmate duo gladii significarent quam mortem Domini, & discipulorum, ex eo licet intelligere, quod cum responderent discipuli: *Eccè duo gladii hic*, nihil amplius ab eis requisivit Dominus, sicut requisiverat in habente sacculum, ut tolleretur similiter & peram: & in vendente tunicam ut emeretur gladium, sed satis (inquit) est, scilicet ad significandum In symbolis quod voluit, nempe ad passionem Domini designandam unus gladius, & ad discipulorum mortem ostendendam, alter gladius. Hactenus Photius *εὐσεβὸς ἀσώτατος* interpretes Sacrae Scripturae qui scopum propius attingat inter omnes Interpretes: ex qua doctrinâ discimus præludium, atque dispositionem ad martyrium esse bonorum derelictionem.

Reflexio. Quam longè sumus ab hac per-

fectione qui rebus humanis ita adhærescimus: Si enim opes, vel opum partem non potes Christi amore relinquere, quomodò vitam relinqueres? si opes non potes profunderere, quomodò sanguinem? In illa urgente necessitate persecutionis, & obsidionis, monet Christus, *ut qui in lecto est non descendat tollere tunicam suam, & qui in agro est non revertatur in domum querere pallium suum*: Itaque, *va, dicit, nutrientibus & pregnantibus in illis diebus*, quia scilicet rerum humanarum cura in tanto rerum discrimine diutiùs detinet, ac suos amatores prodit: Nonne vides eum cui nihil est in rebus humanis, quàm audacter adeat maxima pericula? Nihil habet perdendum (ajunt) præter corpus suum: ita in rebus spiritualibus contingit, atque in scholâ Christi: Hinc factum ut Christus ab eo consilio legem perfectionis inchoarit. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum*. O quàm felix fuit parvulus Joseph, qui nec globulis astrinxerat nec fibulaverat togam adeò ut valentibus illum eâ distingere, illicò ipsam dimiserit. Adolescens ille in Evangelio non habuit animum sequendi Salvatoris, neque se perfectum præstandi: causam Evangelium subjicit. *Qui cum audisset verbum, abiit tristis, erat enim habens multas possessiones*: Id quotidie in multis occasionibus experimur in quibus rerum terrenarum possessio impedit à perfectione, immò etiam à salute. Certè quod habuerunt Apostoli, erat exiguum, illud tamen neque illis manere voluit CHRISTVS, quia unus rei etiam minimæ cura in aliam facile nos injicit. Nam *qui habet sacculum, tollat, similiter & peram, & qui non habet vendat tunicam suam, & emat gladium*. Ex dictis apparet quod diximus duorum de quibus loquimur Apostolorum vocationem, & obedientiam pertinuisse ad laborum tolerantiam, nempe ad martyrium.

ad quod disposuerunt se rerum omnium amissione.

II. quod in duobus illis Apostolis fuit eximium est eorum electio in Apostolatam, que res tanta est ut in rebus humanis nil majus fingi aut cogitari possit: est enim dignitas omnium maxima quæ est in Ecclesiâ teste Apostolo Paulo 1. Cor. 12. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores*: Et rectè omnino Chryl. homil. 1. in Epistol. ad Rom. Apostoli munus, ait, res bonis infinitis exundans, gratiis omnibus majus, ac dona omnia completens: quid enim ampliùs dixerimus, quàm id, videlicet CHRISTVM hoc ipsum illis commisisse, quod ipse si nobiscum versaretur fecisset, ac si demum à nobis abiisse, id quod Paulus exclamans, Apostolorumque dignitatem extollens, ait, *pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos*, hoc est Christi vice.

Porro dixi duo. 1. Electionem. 2. in Apostolatam. In electione illud est eximium, neminem id mereri potuisse: Item neminem per se suisque viribus in tantum gradum conscendere potuisse, sed vocari debuisse, unde Christus sæpe eis dicebat. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*: Id autem optimè explicatur à Marco c. 3. *Et ascendens in montem vocavit ad se quos voluit ipse & venerunt ad eum: & fecit ut essent duodecim cum illo, & ut mitteret eos predicare, & dedit illis potestatem curandi infirmos, & ejiciendi demonia*: Tum eorum nomina subjecit. Deinde cum tantum duodecim ex omnium hominum numero electi sint, magnum omnino fuit illo numero censi.

2. Dixi in Apostolatam: quod nomen ut ait fuse Chrysolomus homil. 50. de Diversis, nudum non est, sed est magistratus appellatio & maximi magistratus, & magistratus maxime spiritualis, & magistratus cœlestis. Id latè ibidem prosequitur: ostendit enim ut in rebus sæcularibus varii sunt magistratus, alii majores, alii minores, quos enumerat, sed summus omnium, Consulatus: Ita in spiritualibus varios esse, (Alii enim sunt Evangelistæ, alii Prophetæ, alii Doctores, alii pastores, &c.) Verùm omnium maximum esse Apostolatam, quod probat ex eoloco Pauli supra laudato 1. Corinth 12. Neque vero, ait, tantum principatus est cæterarum dignitatum, sed radix & fundamentum. Ut enim caput in corpore non tantum habet principatum, sed etiam radix est ob nervos, quorum continet capita & initia; Ita hoc donum non tantum aliis eminet donis, sed eorum omnium radices in se comprehendit, ut qui illud habet reliquis quoque sit ornatus: quod in Paulo ostendit, in quo fuisse Prophetiam, generalium linguarum, gratiam curationum, &c. ex ipsius testimonio demonstrat, sic demum inferendo: merito igitur spiritualem Consulatum appellaremus Apostolatam, sunt enim à Deo designati Magistratus Apostoli, quibus non gentes, urbesque variæ tribuuntur, sed quorum omnium fidei simul, totus orbis terrarum committitur: Porro illi Magistratus spirituales sunt, ut intelligatis tantò meliores sæcularibus esse, quanto ipsi Magistratus sæculares pueris ludentibus antecellunt.

Sed hæc tanta dignitas quo pertinuit nisi ad uberem passionum, atque afflictionum segetem? hoc illis Christus significavit cum diceret. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: allusio est ad nomen, & officium Apostoli. Vide autem distinctius quomodo miserit. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*: Rem dilce ab eventu, quem Apostolus describit 1. Corinth. 4. *Puto enim quod DEVS nos Apostolos novissimos ostendit tanquam mori destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus: Nos stulti propter CHRISTVM, vos autem prudentes in Christo, nos infirmi, vos autem fortes*.

S 3

*fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles: usque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cadimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsa usque adhuc: Itaque in hac voce (Apostolus) tanquam in compendio collige eas omnes persecutiones quibus duo illi discipuli jactati sunt: tanti enim constat ea dignitas, atque de singulis dici potest quod dictum de Paulo. *Ostendam enim illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.**

III. In duobus illis Apostolis egregium est eorum Martyrium neutri enim defuit; nam licet Joannes martyrii consummatione non obierit, Martyrium tamen Romæ passus est: atque in insula Patmos exul quid non est passus? itaque sic scribit Apocal. cap. 1. *Ego Joannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientiâ, in Christo Iesu, fui in insulâ quâ appellatur Patmos propter verbum Dei & testimonium Iesu.* Jacobus autem primus omnium inter Apostolos Martyrio vitam finivit. Referunt veteres Hebræi cum transeundum fuit mare rubrum, Israëlitas restitisse ad ripam, nec ausos aquarum profundum ingredi: qui primus ausus est, ducem fuisse è tribu Iuda, itaque ei regnum traditum fuisse. Ita quoniam Iacobus primus ausus est ingredi mare rubrum sanguinis, propterea aliquâ ratione primatum aliquem habuit inter Apostolos, & Matris omnium Ecclesiarum fuit Episcopus; quia *de Sion exhibet lex, & verbû Domini de Ierusalem.* Dixerat Apostolis Christus. *Eritis mihi testes in omni Iudaâ & Samariâ & usque ad ultimum terræ:* Id fecit Iacobus, ac verus fuit testis & Martyr omnium primus, quoniam primus omnium sanguinem fudit. Sanctus quidem Stephanus primus

obiit, sed in tumultu nõ latâ sententiâ, nõ mortis electione: sed Iacobus hoc habuit ut omnium primus post Christum latâ sententiâ moreretur. Illud vero in ambobus quantum sit, quis sufficienter æstimare & explicare possit? Rogaverat & ambierat Mater ut ambo sederent filii, unus ad dexteram, alter ad sinistram: pro throno calicem utrique propinandum dedit Christus, & pro dexterâ majori dedit ut primus omnium moreretur. Nullus thronus sublimior throno Crucis: Christo in eo sedenti assidet omnium primus Iacobus dum primus omnium mortem appetiit. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? dicunt ei, possumus.* Verè potuerunt, & biberunt, & sederunt, sed in throno gloriæ crucis. Verum itaque quod diximus horum duorum Apostolorum magnitudinem peti ex afflictione, & ex calice passionis.

Dico igitur 4. Quoniam omnis magnitudinis proportio, atque æstimatio fundatur in vero magnitudinis principio, nempe in Christo; sequitur omnem nostram magnitudinem ex eadem mensurâ peti debere. Quod enim est primum in unoquoque genere, illud est mensura cæterorum: quia igitur in Christo licet innumeri extiterint magnitudinis ejus fontes, aliunde tamen eam non acceperit nisi à Cruce, juxta illud, *Nonne portavit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Et illud: *Nisi granum frumenti, &c.* Et illud, *Et ego si exaltatus fuero, &c.* Et illud Apostoli: *Humiliavit semetipsum, &c.* Propterea nemo aliunde magnus esse potest quàm ab afflictione & cruce. Vnde in universum pronuntio, quantum quisque affligitur, tantum inde magnum esse: si parum, parum esse: si nihil, nullum: si multum, magnum: si maxime, maximum.

Probatur 10. ex ordinatione Divinâ, cujus est rerum omnium leges atque jura præscribere: ejus autem ordinationis præcipuum

exemplum est in Christo Domino, cui nihil accessit magnitudinis nisi à Cruce, & passione Quæ lex eadem ratione Sanctos omnes devinxit: quod enim quisque major fuit, eò pluribus persecutionibus est agitatus. Itaque Judith, cap. 8. *Memores esse debent quomodo pater noster Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est: sic Isaa, sic Iacob, sic Moyses, & omnes qui placuerunt Deo per multas tribulationes transferunt fideles* De quibusdam sic Paulus Hebr. 11. *Alij autem dissentii sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alij vero ludibria & verbera experti, in super & vincula, & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occasione gladij mortui sunt: circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, ogentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terra.*

2. Probatur ex verâ ratione virtutis quæ nunquam summa est & heroïca, nisi probata per multas tribulationes, & magnis laboribus exercitata. Hanc ob rem semper in Ecclesiâ tanti habiti sunt Martyres, ut nil in eorum vitam inquisitum sit: Sat enim constat de eorum sanctitate, & magnitudine si magna passi sunt, si vitam profuderunt, & sanguinem: Illis unis Tempia dedicata, altaria consecrata, illis potissimum honores decreti.

Hinc æstima quanta res sit tribulatio, quâ nihil in rebus humanis majus, nihil melius fingi potest. Unde Apostolus Rom. 5. *Non solum autem sed & gloriamur in tribulationibus*: Cum dicit non solum, plurimas ostendit esse utilitates tribulationis, quasi diceret, præter cætera commoda quæ percipimus ex tribulatione.

1. Quod major sit securitas in adversis quam in prosperis, nam nil fallacius est prosperitate.

2. Quod vix ullus in prosperitate salvetur, vix ullus in adversitate damnetur.

3. Quod nulla sit certior, ac facilior satisfactio quam tribulatio.

4. Quod nullæ virtutes probatæ ac exquisitæ nisi in tolerantia laborum.

5. Quod ex nullâ re majus colligatur meritum quàm ex tolerantia, secundum illud: *momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ aeternum gloria pondus operatur in nobis: præter hæc omnia commoda, Non solum autem sed & gloriamur in tribulationibus nostris.*

1. Enim quàm illud gloriosum post Christum ire, secundum illud. *Calicem meum bibitis*: Ille enim prior bibit, & plus bibit: quare nec molesta jam potio, nec ullius dedecoris: quis enim libenter non sequatur?

2. Hoc tantùm referte illi possumus æquale: nam corpus habemus quo pati possit, & mori, & sanguinem quem fuso ipsius sanguini refundere possim⁹. His quippe tantùm duobus cum illo certare possumus, amore & passione: amavit nos ac prior dilexit & ego amare possum, & diligere: pro me pati voluit & mori, pro illo pati possum & mori: in cæteris omnibus minor & impar. An non illud magnum & gloriosum, in quo Deo ipsi certare possis, ac illum æquare?

Denique quàm illud gloriosum, securum esse de beatitudine cœlesti? secundum illud *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Itaque Apostolus hæc duo connectit Rom. 5. *Gloriamur in spe gloria filiorum Dei: non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus: scientes quod tribulatio patientiam operatur, pati-*

entia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, Ex hoc discuti.

I. Conclusio. Si omnes Christi discipuli, Apostoli, & Martyres; Si omnes Sancti, B. Virgo, & ipse Christus non nisi epoto calice regnum caelorum ingressi sunt, quis ego sum, qui per delicias ingredi volo? Id enim verbis illis significatur, *Non est meum dare vobis*, quasi diceret determinatam esse viam ingrediendi in caelum. Quia scilicet non datur indoli, nobilitati, generi, stripi, favori, uti apud Iudæos filij Abrahamæ electi erant; & domus Aaron electa & vocata ad Sacerdotium: sed à diebus Ioannis B. regnum caelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, id est illis datur, qui majori violentiâ utuntur. Itaque magnitudo gloriae non datur dignitati, nec gratijs datis: nec duobus Apostolis datum sedere ad dextram aut sinistram in regno Christi ob consanguinitatem: quia *non est meum dare vobis*: nec quoniam Apostoli: etenim Iudas eo loco dignitatis cecidit: sed quoniam multa passi sunt: siquidem uti Paulus dicebat Act. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*

Collige 2, Quidquid tandem sit, ac quidquid velis, id semper esse necessarium, ut in omni conditione patiaris. Etenim unicuique suus calix à Deo destinatus est. Vnus quippe est pœnæ, quæ bibent omnes peccatores ter-

ra, alter est probationis, de quo dixit Christus *potestis bibere calicem meum*. Sed nonne melius est bibere calicem Domini, quam calicem iræ ac furoris? *Calicem meum bibetis*. Memento triplicem fuisse in Calvaria monte rectam crucem: Vna fuit pœnitentis latronis; altera impœnitentis; tertia Christi victoris. Prima salutaris; altera ignominiosa; tertia gloriosissima. Tu cum habeas innumeras patiendi causas, cur non potius amas crucem Domini perferre non vales, quomodo do calicem iræ ac furoris ferre valebis quem peccatores in inferno bibere compellentur, de quo Scriptura loquitur *Ignis, grando, nix, glacies spiritus procellarum, pars calicis eorum*? Quam illud suavius ut dicas cum Davide, *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius*. Non tantum quia non ad hostium libitum, suorum vitam exponit, ait enim *capillus de capite vestro non peribit*, sed quia magni æstimat: nam si eorum vitâ dignus non est mundus, multò minus pretiosâ eorum morte, quæ sic obita omni vitâ melior est, & quam semper & beata & melior, & æterna vita sequi solet; quam det nobis amabilis Ecclesiæ Sponsus Jesus Christus, Amen.

* *

